



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De individuo comitatu conscientiae nos ubique remordentis, 11

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

incurabilis. Levis sum & dissolutus, nec me corrogo, sed ad peccata quæ confessus sum, quotidie redeo: nec caveo foveam in quam miser ego cecidi, vel alios cadere feci, aut vidi. Cumque plorare & orare deberem pro malis quæ feci, & bonis quæ neglexi, proh dolor! versum est mihi in contrarium. Nam tepui & frigui & fervore orationis, & jam sine sensu frigidus remansi: & ideo flere me ipsum non possum, quoniam gratia lachrymarum recessit à me.

CAPVT XI.

De individuo comitatu conscientia nos ubique remordentis.

I. **P**ECCATA mea celare non possum, quoniam quocumque vado, conscientia mea mecum est, secum portans quicquid in ea posui, sive bonum, sive malum. Servat vivo, restituet defuncto depositum, quod servandum accepit. Si male facio, adest illa; si autem, benefacere videor, & inde extollor, adest illa. Adest vivo, sequitur mortuum: ubique mihi gloria vel confusio est inseparabilis, pro qualitate depositi. Sic sic in domo propria & à propria familia habeo accusatores, testes, iudices, & tortores. Accusat me conscientia, testis est memoria, ratio iudex, voluptas carcer, timor tortor, oblectamentum tormentum. Quotquot enim fuerunt oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira in pœna. Nam inde punimur, unde delectamur.

CAPVT